
MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA
NAZ. CENTRALE
DI FIRENZE
1033
32

X 14

GAREN.

AD ILLVSTR. AC REVERENDISS. VIRVM IOAN. BAPT. CAMPEGIVM

Maioricensem Episcopum.

Oratio


Qua laus, & summa totius Philosophiæ vtilitas celebratur.

Gratia Iuuentutis, ad Philosophiæ studia alliciendæ, & prouocandæ, edita

A B

Ioanne Garentio Gallo Turonensi.







BONONIÆ,

Apud Ioannem Rossium 1567.

De licentia RR.DD.Vic.Episc.& Inquisit.

ILL. AC REVERENDISS. VIRO IOAN. BAPTISTAE CAMPEGIO MAIORICENSI EPISCOPO



Ioannes Garentius S. P. D.



A SEMPER *apud priscos illos mortales ualuit opinio, Praesul dignissime, ut malorum, & calamitatum, quae rempub. uexarent, & opprimerent rationem, in superorum offensorum iustam uindictam reiicerent: Hinc pestilentiae in Grecorum exercitum grassantis causam, in Apollinis sacerdoti illatam iniuriam, Delphico oraculo reiectam, scribit Homerus. Et Senonensis ille Brennus, ab hominibus in Deos arma conuertens dum Delphici Apollinis delubrum diripit, repentino fulmine cum toto exercitu percussus, discerptusq; fuit. Sed missis prophanis hystoriis, similia nobis exempla suggerit sacra scriptura. Si enim ex sacris Bibliis testimonium producere liceat, comperiemus profectò Israeliticum populum, si quando ab ani-*

ta, & antiqua religione ad nouam deficeret, maximis calamitatibus fuisse affectum. Testis strages illa magna in deserto ob relictum antiquum Dei cultum edita: testis Roboamus qui paternæ impietatis pœnas luens, dum spreto maturo senum consilio, iuuenili aequiescit, maximus tribuum numerus ab eo ipso ad Ieroboamum defecit: locupletissimus testis ipse Ieroboamus, bonaq; pars, tum Iudæ, tum Israelis, Regum: qui cum spreta maiorum religione, peregrinas impietates admitterent, in maximas miserias inciderunt. Nec in solum populum suum prisco cultui nouum inducentem animaduertit ipse Deus: Verum etiam impietatem omnem, & sacrilegium à quouis perpetratum iustè ulciscitur, tarditatemq; ultionis, seramq; uindictam pœnæ seueritate compensat. Hinc Antiochus, & Pompeius polluto, & spoliato Dei optimi maximi templo, dignas sacrilegii pœnas luerunt, qui cùm ante perpetratum sacrilegium nobilissimas uictorias crebrò reportarent, eo admisso aduersissimum Martem experti sunt. At uerò contra quam bellè, & fœliciter res humanæ sese habeant ob persoluta superis iusta supplicia, & seruatum mutuæ inter homines amicitiæ uinculum, amicis, & fauentibus, ab iisdem exempla repeti possunt. Quid enim fœlicius Israelitico populo quamdiu maiorum uestigiis hæsit? Quid illo beatius, collum à seuerissimo Aegyptio iugo, soluente? Quid mirabilius illo, mare uiam patefaciens, sicco

pede

pede peragrante? Quid illo fortius contra Gigantes, terram sibi à Deo promissam occupantes, pugnante? Si quidem eos tanquam meticulosos arietes partim trucidarunt, partim fugarunt. Quis fortunatior Dauide, ex abiecto, & humili pastore, in Regem magnum assumpto? Quem & ipse Deus ob pietatem, & maiorum religionem syncere obseruatam primogenitum posuit, & excelsum præ Regibus terræ. Vt planè uerũ esse deprehendatur Balami uaticinium: qui Dei populum tandiu fœlicem, & inuictum futurum prædicebat, quamdiu antiquum religionis ritum obseruasset: Contra uerò aduersum Martem, miseramq; seruitutem experturũ, si quando ab eo recessisset. Hac quidem ratione, in quantas ærumnas, & calamitates adductam Rempub. Christianam nostra ætas uiderit, nemo sanè piæ mentis sine lachrimis effari queat: siquidem hæresis tanto, tamq; subito impetu uisa est sese extulisse, ut totum penè orbem Christianum uideretur inuasura. Sed ueluti aura illa, principio quidem minima, & leuissima, in tantam procellam, & tempestatem accreuit: Ita in sua principia Dei numine redigendam, & resoluendam spe minimè frustratura expectamus. Sic enim cum populo castigato, & emendato agere solita est diuina Clementia, ut flagrum, & instrumentum, quo ad ipsum emendandum usa est, perdat, & igne absumendum deiiciat. Quod sanè polliceri se breui effecturam diuinam bonitatem præsentimus:

sentimus: Suscitato præsertim summo Pontifice tam pio, & sancto: Cuius sanctimoniam reliqui pastores, & ipse populus Christianus, tanquam speculum, & exemplar imitandum sibi proponentes: Id summa ope nituntur efficere, ut iam tales mores populus imbibisse uideatur, quales in summo Principe, & pastore splendere, & prælucere animaduertit. Sed permultæ sunt hæreseon causæ: Aut enim Deo ob flagitia nostra in iram prouocato, oriuntur, aut certè ad probationem electorum: Ita ut in tanta opinionum uarietate constantissima electorum fides, non secus, ac inter saxa, & uepres gemma, aut tanquam lampas lucida, & micans in tanta tenebrarum obscuritate, appareat, perseueret, & confirmetur. Verùm hæreticorum conuincendorum (si modo deposita contumacia, & obstinatione, ratione secum agi patiantur) modus, & ratio optima mihi uidetur esse Philosophia: cùm præsertim hæreticorum turbam, populum simplicem, & credulum, prauè intellectis sacræ scripturæ locis, in errorem inducentem, ut plurimùm artes mechanicas, & illiberales exercuisse, nec labris quidem tenus liberales disciplinas degustasse uideamus: quorum quidem os amaritudine, & dolo plenum est, sub labiis eorum labor, & dolor; sepulchrum patens guttur eorum, linguis suis dolosè agentes, quorum dextera, dextera est iniquitatis. Qua ratione adductus sum, ut iuuenis, iuuenibus oratiuncula persua-

dere

dere conatus sim, quò Philosophiæ studia diligentius amplectantur: si ueram, perfectamq; sublimiorum scientiarum assequi cupiant cognitionem. Quam etiam Antistes optime fulgentissimo nominis tui splendore fulciendam in lucem emisi. Vale. Bononiæ. iii. Calen. Octob. MDLXVII.


AD LECTOREM.

Phœbeam quisquis profiteri percupit artem:
Aut linguam quisquis litibus exacuit.
Quisquis Pontificum summorum iura capeßit:
Ponere qui sumit Biblia sacra sibi.
Socraticis animo, chartis imponat habenas,
Pallada syncero pectore ut excipiat.
(Pectus enim purum subeat nisi diua Mynerua,
Ipsa solet nequam, reddere deterius)
Zenonisq; artem falso ne decipiatur,
Atque sophystarum uocibus ambiguis.
Miraq; naturæ, & rerum primordia noscat,
Longis temporibus, quæ reperere Sophi.
Sternit enim, partes in tres diuisa, fidelem,
Ad summas artes, Philosophia, uiam.
Ergo machaoniam quisquis sibi uendicat artem
Hac sine, dicatur nomine carnificis.
Hac sine causidicus fur, rabula, prædo uocetur,
Fit bona causa, leui praua patrocinio.
Hac sine dicatur totoq; theologus æuo
Discere, sed ueri notio quem fugiat.

IOAN-

IOANNIS GARENTII GALLI TVRONENSIS ORATIO.

Qua laus, & summa totius Philosophiæ utilitas celebratur.



VM variæ sint, ac propemodum innumera hominum studia (N.) si quidem & Crotoniates Olympicum affectat oleastrum, Atheniensis victoria nauali, Lacedæmonius pedestri delectatur, Cretensis studium in venationibus versatur; Sybaritarum in uoluptatum affluentia, Thebanorum in tibiis, Ionum in choris, auarus ad hæc appetit aurum: hominis sanè sit stupidi, ex omnibus nullius rei desiderio tangi, & commoueri. Ita quemque necesse est ad earum rerũ studia sese conferre, quarum dulcedine, admiratione, vel fœlicitate moueatur, & adducatur. Quo quidem in negotio, quàmplurimos malis, ad imaginem boni personatis, labi, errare, decipiq; quis non uidet? Singulorum enim unumquemque si perconteris, quãnam cãusa certamine gaudeat, mercimoniis delectetur, diuitias comparet,

venationibus exsiccatur, humum colat: Vel si ipsum perconteris Sardanapalum, illum (inquam) læuigato corpore, putribus oculis, plexa cæsarie, defossum in purpuram, in regiam penitus abditum, pellicibus permixtum, responsurum opinor se fœlicitatis alicuius sectatorem. Nam & Xerses vmbratilis quidem, fucatæque beatitudinis tantus adamator extitit, vt pro vna ipsa, cum Ioue contendisse videatur: Is enim adeò tenere se eam arbitrabatur, vt Europam cum Asia nauibus ad pontis similitudinem contabulatis, coniugeret: Et Neptunus ille, apud Homerum Ioui exequatus, ab vno tantum hoc rege (quantum ipse opinabatur) & plagas accœpit, & vinculis constrictus est. Homerum etiam audimus extollentem Aeacidas, quòd bello æquè, ac conuiuio oblectarentur. At, quid ingratius bello? Et tamen tam parum grata res, haud abiectos amatores adinuenit. Qualis Philippus ille, post progenitores Aeacidas, qui cùm Macedonica re contentus esse posset, cupiditatum satietatem aliunde explere cupiebat. Quamobrē Triballis bellum intulit, Illyrios inuasit, Bizantium expugnauit, Olynthum euertit, fefellit Athenienses, cum Thessalis fœdera percussit, Thebanis inducias dedit: peierabat, mentiebatur, mutilabatur. Nihil enim Philippus alienum à se, nec uerbum, nec opus, nec dedecus, nec infamiam fecerat. Veruntamen miserrimam illam beatitudinem tàm vehemens eius sectator nequaquam videtur cōprehendisse: Et tamen ipsum talis beatitudo stimulauit. Quin & Alexander eius filius multa salute Eu-

topæ dicta, traiecit in Asiam, beatitudinem forte suspicatus, Sardibus, in ramentis aureis latere: vel in Caria, inter Mausoli thesauros, vel in Babyloniorũ ædificiis, Phœnicum portubus, littoribus Aegyptiis, aut etiam Ammoniorum arenis obrutam esse? Cui nec satis fuit Darii fuga, non subacta Aegyptus, non Babylon capta, nisi etiam cum exercitu in Indiam excurreret. Quonam quæso potius, quàm in fœlicitatem nescio quam, tot stultorum laborum, inaniũq; causam rogatus referat? Sed missis regibus, ac dynastis, priuatæ res, his erroribus haud carere cernuntur. Vbique rerum enim mortales uidere est, ad eandem ementitam fœlicitatem procurrere, atq; adeo hunc terrestribus, illum maritimis negotiis implicitum esse, hunc rebus bellicis, illum rixis, & scurrilitatibus studium impendere, hos latrocinia exercere, illos aliis modis cæteros homines lædere. Quotusquisque enim horum est qui non plenam erroris, ac periculi uiam ingrediatur? Quique vel potius anfractibus, confragosisque locis, quasi suspensi incedunt, vt commiserationem intuentium maximè moueant. Iners uerò, & dissoluta multitudo, nec ipsa falsæ beatitudinis spem abiecit. Nam & adulatoribus negotium adimas, qui quibus coniunctissimè uiuunt, eorum cupiditatibus indulgent: Et scurris, quorum negotium est, admirationem, & risum excitare. Monstrosorum præterea artificibus, in diuersas partes, & effigies corpus sibi ipsis distorquentibus, atque inflectentibus, quamuis conclamata beatitudinis spe, artes licet abiectissimas nunquam possis auferre. Fer-

tur Babylonem profectus vir Ionicus ad regem magnum, artem ostensurus operis egregij, offulas videlicet paruas, rotundasque in eum elaboratas vsum, tam certo ictu contra mucronem acus ex distanti loco iaciebat, vt nunquam à collimando aberraret: nec se deteriorem ob eam collimationem existimabat, quàm Achilles ob animi magnitudinem, reique bellicæ peritiam. In Lybia vir fuit nomine Psaphon, beatitudinis & ipse adamator, minimè hercle humilis, quotidianæq; huius, sed qua Deus concupisceret haberi: Capiens itaque aues, ex vocalium numero complures, has quidam edocuit hæc uerba conari. Magnus Deus Psaphon, atque ita edoctas demisit in montes: quarum vocibus, cùm aliæ multæ assueuissent, tam primæ illæ, quàm demissarum discipulæ, Psaphonis diuinitatem celebrabant. Creditumque à Lybicis est, diuinam hanc vocem esse, propterea que Psaphoni veluti Deo sacrificabant: Sicque Psaphon, comitiis auium Lybicus creatus est Deus, Illique fana, & diuini honores decreti. Nihilo profecto inferior artifex eo, qui non prius à Persis adoratus est, quàm ipsum ferocis equi suffragium ad regnum euexisset. Sic itaque res humanæ sese habent, vt inter se prope dissentiant omnes, tametsi cunctos mortales communis quidam amor, ac desiderium exerceat boni. Veruntamen tam multis, uariisq; itineribus ad ipsum contendunt, vt propter diuersitatem studiorum, negotiorumque nunquam idem fatum, paremq; fortunam sortiantur. Et quamuis simul omnes communiter bonum appetere videantur

deantur

deantur, id ipsum tamen nemo plus cæteris pertingit, horumque res perquam similis esse uidetur illorum inanitati, qui in tenebris aurum inquirunt. Nam cùm in nigerrimis noctis tenebris hominum caliget aspectus, vnde certiorē quæsiti auri probationem habituri erant, ex pondere, tractationeque coniecturam planè mentientem accipiunt. Quæ quidem affectio Fœlicitatis assequendæ terras, ac maria permiscet, cogit conciones, iudicia inducit, carceres complet, triremes deducit, construit naues, bellum parat. Hæc eadem equitandi, aurigandique industriam reperit, tyrannos in arcibus constituit, exteros acciuit, mercenariosque milites conduxit.

Hique homines iugulant, vrbes depascitur ignis.
Numinis hic spretor spoliat sanctissima templa.

At uerò lõgè beatiores, & quasi Iouis satu editi mihi uidetur illi, quibus aut excellente ingenii magnitudine, aut præclara eruditione, atque doctrina, aut fœlicitate quadam, siue bonitate naturæ honestissimarum, optimarumque scientiarum studiis contigit operam dare. Nihil enim excellentius, nihil præstantius dici, aut excogitari potest studiis disciplinarum, bonarumque artium: quæ ideo liberales appellatæ sunt, quia liberos homines efficiunt ab omni voluptate, & turpitudine: Redigunt namque nos ad sapientiam, qua nihil præstantius mortalibus esse potest, quaque Deo optimo maximo coniuncti esse cernimur. Vnà enim omnium Philosophorum concors hæc fuit sententia, qua existimarunt sciẽtiam quamcunque homini quidpiam diuinitatis afferre, ita vt na-

turæ

turæ mortalis fines prætergrediendo, in Deorum immortalium cœtum possit homines conuocare. Vnde scientiarum tot, tantæque decantationes, & encomia prodierunt, quibus hominum nemo extitit, qui eas artes, & disciplinas, in quibus acquirendis aliquod vitæ tempus consumpsisset, ingeniique vires exacuisset, non minus elaboratis, quàm copiosis sermonibus, reliquis anteponere conatus sit, vel supra cœlos ipsos extollere. Ego verò cùm aliorum exemplo adductus, tùm etiam, ne prorsus officio deesse viderer, scientiæ, in cuius studiis aliquot annos consumpsi, encomium, ieiunum illud quidem, & ex inopi, turbido, inferiorique haustum fonticulo profetam. Nunc verò cùm de Philosophia sim dicturus, qualem ipse me faciam? aut cuiusmodi verborum me elegantia muniero? aut vnde satis claras appellationes comparabo? Quam præterea electi cantus concinnem harmoniam, vt aut ipse mihi, aut aliis ostendere valeã quod quæritur? Si enim quò quisq; est eloquens, eò sibi indignus videatur, qui Philosophiæ iustum persoluat encomium, frustra id dicere aggrediatur is, qui angusto vtatur ingenio. Nisi forte cuipiam vehementer sitienti, præsentemque habenti lympidum amnem, qui copiosus aquis simul delectaret aspectum, simul commodè præberet potum, fœcundissimeque nutriret, nos alicunde ex inopi fonte, cæterisq; inferiori haurientes, sufficientem potum adferre posse arbitremur. Philosophiã enim maximi nominis, summæq; eruditionis Phylosophi, tot libris, & voluminibus summa arte compositis celebrarunt

lebrarunt, vt qui encomia meliora desideret, puterque in illis micantem Philosophiæ laudem, & splendorem exilem admodum esse, minimeque clarum: hic nunquam profectò aut exorientem solem, aut refulgentem lunam, aut hesperum occidentem, aut luciferum præuenientem aspexerit. Et quidem cùm triplex sit philosophandi ratio: vna de vita, & moribus, altera de natura, & rebus occultis, tertia de differendo, & quid verum, quid falsum, quid rectum in oratione, quid prauum, quid consentiens, quid repugnet iudicando: Nulla profectò harum summa laude vacat: quod vt liquidò cognosci quæat, ab æthice dicendi sumemus exordium. Nam cùm tota ipsa Philosophia frugifera sit, & perutilis, nec vlla eius pars inculta, desertaque iaceat: tum nullus in ea feracior locus est, nec vberior, quàm de officiis, à quibus honestè viuendi præcepta ducuntur. Quæ Philosophiæ pars, nihil aliud est quàm inuentum, & donum Deorum: cùm præsertim diuinam bonitatem mentibus humanis, singulari quadam claritate cernamus illuxisse: vt disciplinas emitterent, quæ vitam nostram cùm priuatam, tùm publicam, diuinorum conformi quadam bonitate formarent. Etenim anima hominis, secundum primariam ipsius diuisionem, cùm bifariam diuidatur, harum altera pars ratio, altera affectio dicitur. Quarum vna, cùm nequiter sese habeat, atque inordinatè moueatur, vnc [illegible] mul, ac turpissimo nomine vitium dicitur: fitque, vt ex harum alterius æstu, ac fluxu turpitudinis fontes, ac geniture oriantur. Quotiescunque scilicet, con-

tingit

tingit feruidas affectiones animum incendere, ac rationis sationibus, productionibusque calamitatem inferre. Nam quemadmodum accidit, vt subitis procellis crescentes amnes legitimum excedant alueum, superq; vel segetes, vel plantarum culturam præcipites lati, rusticorum operum salutem, atque ornamentum euertant: sic animus nimia affectionum vi, à rectis ratiocinationibus depulsus, falsis nimirum, atq; improbis opinionibus, præter naturam propriam surgentibus, corrumpitur. vel si placet, improbitatem animi inconditæ plebis assimilabimus imperio, quod quidem fit, quotiescunque in ciuitate probitas victa, multitudinis penitus licentiæ, atque audaciæ seruiat. Cui malo, omnis à Philosophia petenda est medicina: Nam cum in anima, permultus dicatur esse populus, idemque terribilis; is tamen si semel consenserit, ac manum dederit legi, eiusque præcepta sectetur, in anima componit politiam imprimis optimam, quam Philosophiam homines appellant. Quamobrem Philosophia accedens, legislatoris munere suscepto, inordinatum, errabundumque animum, perinde ac plebem aliquam inconditam exornat. Qua Philosophia, nullum donum optabilius, nullum præstantius mortalium generi à Diis immortalibus concessum est. Quæ vitæ dux est tutissima, virtutum indagatrix, expultrixque vitiorum: sine qua non modò nos, sed ne omnino uita hominum vlla esse potuisset. Vrbes namque ipsa peperit, dissipatos homines in societatem vitæ conuocauit, legesque ad retinendam, conseruandamque, inter homines, societatem condidit,

didit, & promulgauit. Quæ vitæ tranquillitatem largitur, & mortis terrorem tollit impauida. Cuius quondam amore, & præstantia capti magni principes, & imperatores, deposito regiæ dignitatis fastigio, seu potius fastidio, se totos huic scientiæ tradiderunt, alteriusque imperij multò sanè latius patentis gubernaculum arripuerunt. De quibus Lyricus poeta.

Latius regnant auidum domando
Spiritum, quàm si Lybiam remotis
Gadibus iungant, & vterque pœnus
Seruiat illis.

Huic igitur demus nos excolendos, patiamurque nos sanari ab ea, si boni, beatique esse cupimus, omniaque adiumenta, & auxilia inde petamus bene, beateque viuendi. Iam verò ad secundam Philosophiæ partem delabamur: quam de rebus naturalibus, earumque causis esse diximus. In qua efferenda, vereor ne quis me onerosum arbitrum esse iudicet, qui physicæ huic disciplinæ secundas partes assignarim: In hoc potius tantæ scientiæ attenuatorē, quàm æquum æstimatorem me præbens, qui ei scientiæ, quæ multorum iudicio, & calculis præcipuum inter scientias locum obtinuit, aliam prætulerim. Enimuero Philosophiam animanti similem dicunt, ossibus, & neruis logicen, carnibus æthicen, animæ physicen conferentes. Siue rursus ouo: quippe superficiem logicen, sequentia æthicen, intima, & penitus abstrusa physicen vocitantes. nec defuerunt, qui agro frugifero eam compararent, quippe circumiectam se-

 pem

per logicen, fructum æthicen, humum, ac arbores physicen dicerent. Nullam verò partem, reliquis præferendam censent, sicut quidam eorum mixtas arbitrantur, easque confusè, ac permixtè tradunt. Et quidem physica, cùm doceat naturam eorum, quæ mundo continentur, illorumque virtutes, & effectus, soleatque à causis superioribus progressum facere, ita ut singularum cognitio à primariis vniuersalibusque causis habeatur: fit vt nos per easdem causas ad cognitionem ipsius summi archetypi, omnium opificis, & primæ causæ, à qua sunt omnia, & procedunt omnia, deducat. Homo enim in medio theatri vniuersitatis collocatus ad Dei omnipotentis opera spectanda, hæc ille diligenti animo intuens, & suspiciens, non potest Deum, vt sibi parentem propositum, non reuereri, colere, & implorare, eiusque laudes, summam habens de infinitis beneficiis gratiam concelebrare. Quæ quidem cùm ita sese habeant, quis in tanto veritatis splendore, & luce cæcutiens, non animaduertit plurimum momenti, ad Dei omnipotentis plenam, perfectamque cognitionem, & ad excitandos hominum erga diuinam prouidentiam, animos physicam habere? Fœlicitatem etiam non mediocrem in physicæ cognitione antiqui scriptores posuerunt, eos sæpius fœlices, & beatos dictitantes, quibus rerum causas nosse contigisset. Natura enim parens, & author omnium miras excitat voluptates hominibus, qui causas rerum intelligunt, & eas diligentius contemplantur. Quas rerum causas primi omnium Indi, Aegyptij, Arabesque post quos

Græci

Græci, nouissimeque nostri studiis laboriosissimis, summisque vigiliis inuestigarunt. Hinc rerum naturalium vsum, omnibus communem, multitudini etiã imperitæ permittit Tullius: Causas autem, earumq; cognitionem solos sibi sapientes asserit reseruasse. Silentio prætermittam vsum, & vtilitatem, quàm corporibus humanis physica adfert disciplina: quorum morbos, eorumque causas sagacissimè discutit, cognitoque malo saluberrima solet remedia adhibere. Si quidem hæc maximarum, laudatissimarumque scientiarum veluti quædam est procreatrix. Inter quas cùm theologia, tùm medicina, tanquam Pallas ex Iouis cerebro, ex hac ipsa sola procreatur. Physicam igitur disciplinam ad eruditionem absolutam omnino esse necessariam nemo sanè possit debeatúe dubitare. In quo nunquam satis laudari potest theologorum, medicorumque summa prudentia, grauissimumque iudicium, qui quod Plato, & Stoici verbo proferebant, ab initio institutæ academiæ, reipsâ diligentissimè obseruarunt, ne quem videlicet ad superiores gradus admitterent, nisi qui ingenium in physicis haberet exercitatum. Theologi quorum officium est diuina interpretari, aduersarios fidei catholicæ reuincere, aberrantes in rectam viam reuocare, progressos cõfirmare, cessantes incitare, verè arbitrati sunt ad hoc munus nõ esse idoneum, nisi qui prius non solùm dialecticam, sed potissimùm etiã naturalẽ Phylosophiam didicisset: Medici quoque eadem ratione ducti, in tanta varietate rerum, crediderunt nõ posse quẽquam inoffenso pede disciplinam medendi

perdiscere, nisi præcognita physica disciplina. Quam si de vita sustuleris, huius exiguæ pulchritudinis fomitem penitus extinxeris, quæ scilicet spirat, quæ vitalis est, quæque sola veram rerum proprietatem, ordinationemque intelligit: veluti dempta è corpore anima, vitam omnino prodideris; dempto sole de die, extinxeris diem. Tertiam huius nostri instituti partem paucis expediamus, quam de differendo, verumque à falso secernendo esse diximus, quamq; pari dignitate, splendore, & gloria, cum superioribus sumpsimus exornandam. Cum præsertim Philosophorum præstantissimorum testimoniis, maxima, necessariaque sint, eius ad sustinendam, vindicandamq; veritatemque adiumenta. Ex quibus Stoicorum de dialectica iudicium huc proferam, qui quidem de eadem tam magnificè iudicarunt, vt maximè asseuerarint solos dialecticos sapientes esse, rerumque omnium cognitionem, per eam, quæ in verbis est, speculationem haberi, quæq; ad naturam pertinent, quæq; rursum ad mores, logicæ egere adminiculo. Verectissimè Aristippus, eos, qui aliis imbuti disciplinis, diligenter differendi artem neglexissent, Penelopes diceret procis esse simillimos. Illos enim & Melantho, & Polydoram ancillas, cunctaque potius habere, quã dominæ ipsius nuptias spectare potuisse. Quod probè animaduertens diuinus Plato, sanciendam esse legem duxit, qua ei potissimum disciplinæ, qui discunt, incumbere iubeantur, ex qua, ad interrogandum, & respondendum, vt scientes decet, aptissimi sint: quæ ars nulla sanè alia est quàm dialectica, quæ

Quæ Methaphysicæ propria sunt hic passim dialecticæ attribuit propter mutuam utriusq; cõuenientiam. Vtraq; enim circa ens, & eius ptes uersatur quamuis sit diuersa ratio.

doctrinis

[illegible] apex præponitur, nullaque doctrina aut eminentior reperitur, aut ad aliarum scientiarum perfectionem commodior, & vtilior. Ipsa etiam solutionem præbet à vinculis ignorantiæ & animum ex vmbra in lucem, ex antro in arcem producit: quapropter & à stoicis inter virtutes collocatur. Per ipsam enim docemur, ne cui falsò assentiamus, neúe vnquam captiosa probabilitate fallamur, eaque quæ de bonis, & malis diceremus, tenere, tuerique possimus. Nam sine hac arte, quemuis arbitrantur à vero abduci, fallique posse. Rectè igitur, si in omnibus rebus temeritas, ignoratioque vitiosa est, dialectica virtus appellabitur, quæ ab illis animum liberet. Cuius inueniendæ hæc potissima fuit ratio, quòd cùm Philosophi grauibus, arduisque in rebus operam, studiumque collocarent, & in physicis speculationem adhiberent; in moralibus verò actionem: necessarium fuit, vel in naturali, vel moralium actionum speculatione, vt certa ratio, tũ quod in rebus speculandum esset, inueniret, tum quod in actum viuendi duci oporteret, antè perpenderet. Quæ ratio nisi certa via, & methodo progrediatur, frequentius in multos errores elabatur necesse est. Quod ne fieret, atque vt certa disputandi peritia, & methodo earum scientiarum professio haberetur, iudicarunt antiquæ Philosophiæ principes, vt ipsarum ratiocinationum, quibus aliquid inquirendum esset, naturam penitus discuterent, vt his in certum ordinem redactis, & purgatis, in speculatione veritatis, & virtutum exercitio vteremur. Eadem dialectica,

cùm ad reliquas disciplinas dicatur respondere nervis, & ossibus, vel etiam sepimento, fit vt iisdem disciplinis vires, & tuitionem adferre iudicetur. Quemadmodum enim sublatis ex animante ossibus, & neruis omne robur tolli necesse est: ita cæteras disciplinas sine dialectica, tanquam amisso robore, cernimus penitus collapsuras: Rursus etiam quemadmodum frustra fundum possidemus, aramus, & colimus, nisi septo noxiæ belluæ arceantur: ita reliquæ artes ex se ipsis non habent quò se tueantur, si dialecticæ vallò sint destitutæ. Iam verò nec parum momenti, ad nostrum institutum confirmandum afferet dialecticæ ad reliquas disciplinas efformandas, & perficiendas vsus, & vis efficacissima. Nam cum omnium Philosophorum summo consensu; illud summum, perfectissimumque sit, quod aliis formam; & perfectionem causat, & impartitur quanti æstimanda dialecticæ vis est, & facultas, quæ omnibus ferme scientiis perfectionem, tanquam summam manum adferre iudicatur? Rogetur Plato, cuius artis adminiculo alta, & diuina intelligendi; & loquendi compos eua serit? Respondeat profectò eius artis beneficio, quæ diuisionum, collectionum; definitionumque præcepta tradit, talem euasisse; eorumque qui eam artem queunt profiteri, nempe dialecticorum, à tergo, tanquam Dei vestigia secutum. Ipse enim Socraticæ disciplinæ, & subtilitati, adiiciens rerum naturalium, diuinarumque peritiam, subiungensque formatricem illarum, iudicemque dialecticam; quæ aut ipsa esset sapiëtia, aut sine qua sapientia esse nullo modo posset,

ſet, perfectam dicitur Philoſophiæ compoſuiſſe diſci plinam. Quid orator Tullius? vbiq; fatetur, ſe tantum oratorem, non ex Rhetorum officinis, ſed ex academiæ ſpatiis extitiſſe, omniumque laudatarum artium procreatricem quandam, & quaſi parentem ab hominibus doctiſſimis iudicari dialecticam. Omnia enim, quæ nunc artibus ſunt concluſa, diſperſa quondam, & diſſipata fuerunt, vt in muſicis numeri, voces, & modi: in geometria lineamenta, formæ, interualla, magnitudines: in aſtrologia cœli conuerſio, ortus, obitus, motuſq; ſyderum: in grammaticis poetarum pertractatio, hyſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam ſonus: quarum quidem artiũ inuentionem, & procreationem potiſſimum ſibi vendicat dialectica: quæ eas diſſolutas, conuulſaſq; conglutinaret, & ratione quadam conſtringeret. Neminem præterea eloquentiæ, & iuris ciuilis artem fuiſſe aſſecutum, teſtatur idem oratorum princeps Tullius, niſi qui eam didiciſſet artem, quæ docet rem vniuerſam diſtribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, homonyma, & ambigua primùm cernere, tùm demum diſtinguere, poſtremò methodum, & regulam habere, qua vera à falſis iudicentur, & quæ quibuſdam poſitis conſequantur, quæque minimè: quæ quidem ars illius ipſius iudicio, omnium maxima, & quaſi lux ad ea, quæ confuſè ab aliis reſpõdebantur, aut agebantur, habenda eſt. Ipſe etiam Pericles (cuius famoſæ eloquentiæ incredibilem quandam virtutem, tum hyſtorici ſcriptores, tùm liberrimum hominum

minum genus comici veteres tribuunt) in dialecticis ab Anaxagora fertur eruditus: Ideoque ipsum dicunt cæteris præstitisse oratoribus, quòd tanti Philosophi fuerit auditor : à quo censent eum , cum alia præclara quædam didicisset , vberem , & facundum fuisse, gnarumque (quod eloquentiæ maximum est) quibus orationis modis , quæque animorum partes pellerentur . Demostenem quoq; omnium Græciæ oratorum principem constat Platonis fuisse auditorem. Habuit & ipse Tullius suum, in dialecticis præceptorem Diodorum stoicum, à quo, cum in aliis rebus, tum studiosissimè in dialectica exercebatur, sine qua eloquentiam (quam passim dialecticam dilatatam appellat) fatetur nũquam se consequi potuisse. Magnæ enim quælibet artes dialectica indigent exercitatione, ipsaque mentis sublimitas, & vis efficax in qualibet re perficiẽda, hinc quodãmodo proficisci videtur. Quis enim nisi dialectices munitus præsidio, & armis, vel ullius artis principia, causasq; norit ? Quis de aliqua re verba sine errore facturus est, nisi ante omnia definitione , & certis terminis circumclusam rei notitiã dialectica directrice percœperit? nisi quæ rerum genera, quæ species, quæ differentiæ, quæ accidentia vnamquamque rem consequantur, & quid coniunctum, quid separatum, quid affine, quid repugnans sit, animo comprehẽdat? Quæ quidem omnia primùm per decem prædicamentorum genera latissimè explicat dialectica, deinde enunciationum naturam adiungit , argumentandi formas præscribit. Præterea siue quæstio incidat de natura rerum , siue de

de moribus, siue de differendi ratione ad omnem quæstionem propositam idonea argumenta reperiē di methodum explicat: vt nihil sit neq; in cœlo, neq; in mari, neq; in terra ad quod dialecticæ munus nō pertingat. Et cum tanta sit rerum inter se diuersitas, & similitudo, vt etiam sapientem sæpe fallant; nisi quis è dialecticis percœperit diuidendi, seu partien di rationem, ad veritatem ipsam vix vnquam poterit pertingere. Ac cum ratiocinationibus semper aliquid colligatur, & sine argumentatione, nullius rei haberi possit scientia, nec veritas exactè cognosci: palam est eos qui hanc methodum non ingrediuntur, nunquam ad veram perfectamq; alicuius disciplinæ cognitionem posse peruenire. Quod quidem in dubitationem nequaquam debet reuocari: Cum omnes disciplinæ adminiculo, & ope dialectices sint inuentæ, ipsaq; ad omnium disciplinarum principia habeat viam: ac ne potuerit quidā fieri, vt vlla esset ars, nisi quæ per dialecticam in ordinem, & formam esset redacta. Nihil est enim quod ad artem redigi possit, nisi ille prius qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, vt ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit. Quocirca, ieiunè, & crassiore Mynerua Philosophiæ absoluta commendatione, hoc vnum adhortandi occurrunt adolescentes, vt aduersus laborem, qui in primo liberalium artium aggressu, maximè autem in ipso dialectices primo limine sese offerre, & ostentare solet, infractos, inuictosq; animos, ac laboris patientes gerant. Par est enim eos summa opē niti, qui res ma-

gnas magnopereq; expetendas concupiuerunt: ne labore forsan, aut principiorum difficultate deterriti, à capessendis optimarum artium studiis vlla possint ratione reuocari: Si enim tot periculis, & laboribus per mare, per terras, perque æstiuos calores perferundis sese exponunt mercatores, vt pauperiem procul à se faciant, opesq; bona fortunæ caduca, & inconstantia accumulent: Qua animi alacritate vti debent, vt innatam mortalibus omnibus ignorantiam strenuè à se amoueant, easq; opes comparent, quæ cum naufragio queũt enatare, possessoremq; suum nullius rei indigum conseruare? Quibus quidem rebus qui prædití sunt, soli sunt diuites, soli res preciosissimas, sempiternasq; possident. Quarum etiam rerum possessione, Bias ille Prienensis philosophus, & princeps, vnus de numero septem Græciæ sapientum, Cræso Lydorum rege multò extitit beatior. Capta enim patria omnia sua secum portauit: animi enim bona non amisit. At Crœsus qui in externis rebus fœlicitatem collocauit, vt in Ciri potestatem amisso regno fuit redactus, nihil sibi putauit superesse, fœlicitatem enim in fortunæ ludibriis, non in animi bonis reponebat: quæ philosophus pro nihilo ducens, suis opibus, quas animo circumferebat, se verè locupletem existimauit: quibus saluis, reliquarum rerum iactura, tanquam alienarum, nihil commouebatur. Virum etiam canis tricipitis debellatorem legimus nullum subterfugisse laborem, vt viribus corporis, cæteris antecellere diceretur, præstantisq; pugilatoris nomen, & decus sibi compararet. At multò sa

nè gloriosius, & excellentius est, ingenij, quàm virium corporearum opibus gloriam quærere: Quocirca nullo labore par est, adolescentes ab his nunquam satis laudatis scientiis deterreri: quæ radices quidem amaras, fructus verò suauissimos habere dicuntur.

AD DOMINVM, ET PATREM, & Mecœnatem suum Do. Beniamin de Garence fori Negotiatorum Turonensium nuper à Rege constituti primum iudicem, Pauillonij, & Duranderiæ Dominum.

Quid doctis uellet, quondam rogitatus, Athenis,
Extorris factus, scribere, Diogenes.
Hortor Cecropidas (inquit) bona quærere natis,
Fortunæ uaria non peritura manu.
At quæ sint illis, tantò maiora putanda,
Quantò mens uegeto corpore dignior est.
Ac quibus instructus, sapiens, princepsq; Prienes
Vel magno Cræso ditior est habitus.
Nam Cirus Cræsum, regno ut spoliauit auito,
Ingemuit Cræsus nil superesse sibi.
Sed secum Bias, auro, tulit omnia, licto,
Præmonitus flammis, ut sua præriperet.
His, quia non expers adeo curaris, essem:
Bis, digno patris nomine dignus ut ades.

Ad Eundem.

Quàm benefactorum sit turpis obliuio noui,
Quæ simul humanis, ac odiosa Deo est.
Illius ut labem euitem, dum totus anhelo:
Quid do, quod memorem me queat arguere.
Ne precium spectes, quæ possum munera pendo:
Exiguum donum, sed memor est animus.
Tantò, immortales grates tibi soluo futuras,
Quanto durabit, tempore charta breuis.

Ad Eundem.

Margaridi matri (memorem quia præcipis esse)
Has soluo grates, gaudeat ipsa Deo.

FINIS.


COELO
DEMISSVS
AB ALTO

XVI



